



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

Natiuitatis Domini sequentium[que] solennitatum Paraphrases & Exeges
cum suis Sermonibus, in altero de Sanctis tomo offendes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

minare Deum hominem definit. Aut enim per hominem informat, aut per scripturam instruit, aut docet per inspirationem. Quod si tanta foret obscuritas, tantaque rei difficultas, ut nihil horum ad hominis sufficeret instructionem, potius in somno, aut aliter hominem certiorum faceret, quam in dubio fineret perire. Non est tamen expectandum miraculum, aut reuelatio superna, quamdiu ad manum est consilium aut humanum, aut modo naturali humano ingenio, aut certe Dei alia prouidentia præparatum. Dominus noster Iesus Christus suam det nobis benedictionem & gratiam sempiternam, Amen.

IN EPISTOLAS ET EVANGELIA
Paraphrases & Exegetes, vna cum suis Sermonibus Natiuitatis Domini, sequentiumque solennitatum in altero Tomo de Sanctis in vtraque parte offendes.

DOMINICA I. POST DOMINI NATIVITATEM, Epistola B. Pauli Apostoli, ad Galatas IV.



Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt à seruo cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à Patre: Ita & nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Itaque iam non est seruus, sed filius: quod si filius, & heres per Deum.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Gal. 3.

ANte hæc verba dixerat Paulus legem Iudæis fuisse pædagogum, sub quo regerentur, donec Christus veniret: in quem qui crederent, sub eodem non iam sicut sub pædago viuere, sed liberati à lege, filij per Christum fierent adoptionis & honorum Dei hæredes. Quo ostendere voluit post Christi manifestationem, nostra redemptione iam impleta & mundo vulgata, nos lege veteri (quantum atinet ad caeremonialia præcepta) esse absolutos & liberatos. Ad quod probandum hac vtitur similitudine: Puer qui sui est patris hæres futurus, quanto tempore & ætate & scientia paruulus est, nihil differt à seruo: non quidem est seruus, sed à seruo nihil differt, quia nullam habet potestatem, regitur alieno imperio, & alterius cogi-